



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-626967-p0002-5

DFG


Q.D.B.V. *#*
DE *XLIX.*
LACEDÆMONIORUM *#*
ΣΕΝΗΛΑΣΙΑ *21*
SEU *1671, 3*
RIGORE ADVERSUS
PEREGRINOS
PERMISSU
INCLUTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PUBLICÆ DISPUTABUNT
PRÆSES
M.JO.CHRISTIANUS HETZERUS
LIPSIENSIS,
ET
RESPONDENS
GEORGIUS Schultze / WALDENB.
MISN, PHILOS. BACCAL. ET SER.
ELECT. SAX. A-
LUMN.
D. 7. JUN. ANNO 1671.
IN ACROATERIO PHILOSOPHORUM
H. L. Q. C.
LIPSIÆ,
TYPIS JOHANN-ERICI
HAHNII.



Inclitæ
LIPSIENSII REIPUBLICÆ
DOMINIS
CONSULIBUS,
Universoqve
Ordini Senatorio,
Viris
Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis,
Consultissimis, Excellentissimis, Prud-
entissimisqve,
Patronis meis Maximis,
Ut gratum me præbeam beneficiorumq; memorem;
Disquisitionem banc Historicam
dedico
Abitum ex patria parans
M. Jo. CHRISTIANUS HETZERUS,
designatus Rector Scholæ Arnsta-
diensis.



D. Gent. philos.
anno. 1671-1709



B. C. D.

§. I.

Vàm possum brevissimè Rigorem
Lacedæmoniorum adversus peregrinos a) ex-
plicaturus, mirari satis nequeo, quamobrem Re-
rum Laconicarum Scriptores argumentum hoc
b) tantum non prorsus negligant. Eorum enim
neminem c) reperio, qui suò id locò ita tractet,
ut Lectori circumstantiarum avido satisfaciat.

- a) Græcis Autoribus, unde hæc nostra potissimum hausimus, passim
Σενῆλασία dicitur. Quam vocem ea propter etiam in fronte Dis-
quisitionis usurpare libitum est.
b) Utpote qvod accuratè exqvisitè; expendi omnino postulat ab iis, qui
pleniorem Reipubl. Lacedæmoniorum descriptionem dare volunt,
quemadmodùm ex infra dicendis patebit.
c) Neq; inter Recentiores, neq; inter Veteres. Qvanquam hos facili-
us excusaveris, quàm illos. Hi enim aut delinearunt Laconica insti-
tuta tantum, qvod Plutarchum fecisse compertas, aut ea tantum
consignarunt, quæ in illis vel probaverunt vel reprehenderunt, o-
missis, quæ seculo suo aliundè erant notissima, qvod in Xenophon-
te animadvertisolet. De illorum autem Veterum industriâ, quo-
rum de Republ. Lacedæmoniorum libros deperditos recenset Meur-
sius libr. IV. Antiquit. Laconic. cap. ult. prorsus nil habeo, qvod
dicam; Recentiorum verò dubium mihi in præsens non est, quia
aliis qvidem res abstrusa nimis visa fuerit, alii verò antecessorum
suorum vestigiis insistere, quàm nova quædam accuratioris diligen-
tiæ posteritati relinquare maluerint.

§. II. Ut autem primordium Dissertationis hinc capiam,,
duo d) Laconicas Res consideranti Lacedæmoniorum Instituta e)
se offerunt, unde rigoris alicius adversus peregrinos damnari
possint. Alterius sensus f) est: NEMO PEREGRINUS IN
CIVITATEM RECIPITOR g); alterius: NEMO PERE-
GRINUS SPARTAM ADITO h).

a) Eaq; distincta. Nam perperam ea confundit Jac. Philippus Tomasi-
nus, quando cap. 31. de Tesser. hospital. pag. m. 224. inquit : Lacedæmonii Gerberibus expellebant hospites, indicio Aristophanis in Avis-
bus, citante Suidâ. Ex legibus enim Lycurgi exterros non admittie-
bant ad ius ciuitatis.

b) Instituta Lacedæmoniorum Leges Latinidum vocant, Græcos exprimunt, qui καθεσηκόται eas appellare solent & θητηδέν μαζα.
Alias Rhetræ nominabantur, quod à Deo sanctæ & Oraculorum
instar habitæ fuerint. vid. Plutarch. Lycurg. pag. m. 47.

c) Sensum Laconicarum Legum novimus, verba, qvibus promulgatæ
fuerunt, ignoramus. Cujus rei causa est, quod earum una quædam
reliquias veterit scribi, vid. Plutarch. l. c. Qvam Rhetræ tamen obi-
ter hic addo non idè latam mihi videri, ut omnis Laconicarū Le-
gum Scriptio interdiceretur. Nam Terpandrum Antissæcum carmi-
nibus eas impunissimè complexū fuisse constat, cui tamen impunè
non licuit Musicā Lacedæmoniorum simplicem ac veterem mutare.
Plutarch. Instit. Lacon. p. m. 238. Sic nusquam legimus Tyrtæo A-
theniensi vitio versum, quod quæ ad fortitudinem spectabant, ceci-
nerit, ut Dicæarchum taceam, cujus de Republ. Spartanorum liber,
Suidâ teste, tanti Lacedæmonie habitus est, ut lege latâ qvotannis in
prætorio Ephororum juventute auscultante lectus fuerit. Meurs. lib.
IV. Antiqv. Lacon. pag. 334. Voluisse autem Legislatorem hoc pactō
tantum introducere inferendarum cum lacte maternō legum con-
suetudinem admodum mihi fit verisimile, præsertim qvum Plutar-
chus, ubi Rhetræ hujus meminit, non aliâ ejus causam afferat, qvam
quod Lycurgus νόμος ἐγκατεστο χειωμένος in animis civium
putaverit μένειν ακινήτος, ηγε βεβαίας ἔχοντας τὴν περά-
γεσιν δεομὸν ιχνεύεται τὸν αὐτόν, vid. ejus Lycurg. p. m. 47.

d) Inclusi huic formulæ, cum alias non reperiem, quæ de non ascen-
scendis in civitatem peregrinis legebam. Videre autem potest, cui
volupē est, Cratii de Republ. Lacedæm. lib. I. cap. 5. & Ubb. Emmii
vet. græc. tom. 3. p. 132.

e) Postquam hæc scripseram, animadvertebam eqvidem Cratium
lib. 3. tab. 3. instit. 3. hanc legem paulò aliter hoc modō efferre:
PEREGRINI SPARTÆ NON COMMORENTUR; sed nolbam qvicq; vam
mutare, qvia parum interesse ad formulæ certitudinem putabam;
sive his sive aliis verbis concipiatur.

§. III. Prius Institutum Sortibus i) dignitatem afferebat,
à qvarum participatione excludebantur k), qvicunq; à parenti-
bus civibus oriundi non erant; Posteriorius Disciplinæ l), qvam
non vanè m) Legislator conjecterat ex qvotidianō cum peregrinis
commercio corruptum iri.

n) Ita vocabantur partes, in quas Laconica Regionis agtos Lycurgus di-
viserat,

vicerat, quod singulæ singulis sortitæ assignatae fuerant. Constituit autem Lycurgus æquales partes pro numero civium, ut videtur, (civium enim numerus sortibus debebat respondere, vid. Crag. lib. 3. tab. 3. instit. 1. p. m. 208.) tricies novies mille. a quibus novies mille, quæ Metropoli proximè conjunctæ erant, pro Spartanis separabat; reliquias reliquis per Regionem Laconibus distribuebat. Non abs re fuerit Plutarchum ipsum hanc de re audire, cuius in Lycurgo p. m. 44. haec verba sunt: ἐπάγων δὲ λόγω τὸ ἔργον διένεμε τὴν μηδὲ ἄλλην τοῖς αθρίοις Λακωνικὴν, τρισμυρίσις κλήρους, τὴν δὲ εἰς τὸ ἀστυ τὴν Σπάρτην συντελέσσαν, ἐναπικιλίους τοστοις γε ἐγένοντο κλῆροι Σπαρτατον.

Quæ cùm non satis ponderasset Cratus, in universum triginta milia tantum sortium constituit, uti ex ejus de Rep. Lacedæmonior. lib. 1. cap. 1. p. m. 5. & lib. 3. tab. 2. instit. 1. p. m. 196. patet.

k) Cives ex utroque parente Lacedæmonios esse oportebat. Addo & legitimè natos. Nam quod loco apud Lacedæmonios Parthenii fuerint, quorum historiam Strabo lib. VI. Geogr. p. m. 312. narrat, notum est.

l) Per Disciplinam h. l. intelligo mores omnes, quibus benè educatus Lacon non poterat non esse per omnem vitam conspicuus. Qui quod remotiores erant à deliciis & luxu, tanto majori meritò credebantur obnoxii exitio.

m) Est enim in confessu, quanta vitia Pausanias diuitia cum Persis consuetudo affricuerit. De Persico ejus apparatu, quod abjectâ patriâ frugalitate usus est, deque scelerato ejus consilio, quod totam Græciam Xerxi subjecere conatus est, vide Thucydidem de bello Peloponnes. lib. 1. p. m. 53. Sic Xenophon lib. 3. græc. ter. p. m. 345. autor est Lysandrum ex Asia reducem ambitiosum factum, statumq; regium superasse fastu. Ut a'ios brevitatis studiō raceam, quipissimos subinde mores cum peregrino potu imbibierunt.

§. IV. Per prius Institutum non crediderim cujusquam hominis odium in se incendisse Lacedæmonios. Habant enim, id cum æmulis n) suis Atheniensibus commune o). Per posterius autem perspicissimum mihi est, non Atheniensibus p) modò, sed & omnibus Atticæ factionis Græcis q) tam invisos factos, ut per sapientissimè exprobratam r) ξενηλασίαν nil aliud possis intelligere, quam acerrimum eorum pellendi ex urbe peregrinos studium.

r) Maximam æmulationem inter Lacedæmonios & Athenienses durante bello Peloponnesiacò fuisse ex Thucydide satis apparent & ex iis, quæ Xenophon de Græcis Rebus memorie tradidit. Longè vero ante etiam, quam armis res geri cœpta est, non obscuras eos inter

A 3 se si-

se similitates habuisse, ex fraudulentâ illâ Lacedæmoniorum cun-
statione in promissis auxiliis contra communem hostem Athenien-
sibus mittendis colligo, de quâ videri potest Herodotus lib. IX. p. m.
554. seqq.

• Summum enim beneficium jas suæ Civitatis arbitrabantur Athenien-
ses. Nec honorem illum tribuebant nisi Principibus aut Regibus,
aut copiarum militarium Ducibus, nec nisi ob ingentia in ciuitatem
merita, ut Demosthenes alicubi ferè loquitur. Conf. Ubb. Emm.
tom. 3. vet. gr. p. 67. & 380.

p) Qui peregrinos adeò ex urbe suâ non pepulerunt; ut meriti hinc fue-
rint Lacedæmoniis opponi. Joh. Tzetzes Chiliad. VII. hist. 130.

Toīs Ἀθηναίοις νόμῳ οὐδὲν εἰσδέχεται τὰς ξένους,
Οὐενὶς ὠνομάζοντο φιλόξενοι τοῖς πόστοις.

Toīs Λάκωσι δὲ νόμῳ οὐδὲν τὰς ξένους ἀπελαύνειν.

Qvod de Megarensibus factum, peculiare est, ut infrâ ex §. VIII.
patebit, & nequaquam huc trahendum.

q) Universa Græcia in duas quasi partes tûm scissa erat. Alii cum Athe-
nensibus faciebant, partim cum Lacedæmoniis. Qui Laconicæ
factionis erant, non tantum non improbabant eorum instituta, ve-
rûm postulabant etiam interdum ab illis, ut ἀρμοστοὶ seu Modera-
tores (*σωφεργιστοὶ* alias dicuntur. Hesychio ἀρμοσῆτες,) sibi
mitterentur, qui vitam suam ad Lycurgi leges conformarent. vid.
Plut. Lycurg. p. m. 58. Qui v. Atticæ, eos existimo unâ cum Athe-
nensibus perniciali à Lacedæmoniis odio dissedisse.

r) Longum foret omnia h.l. loca afferre, in quibus institutum hoc Lacedæmoniorum peistringi hoc agentes vidimus. Qvamobrem instar
omnium sit unicus Aristophanis, qui inter alia in Pace p. 668. ita
scribit:

Καὶν ἔπειθον τῶν Λακώνων τὰς μεγίστας χείμαστι.
Οἴδι, αἴτιοντες αἱστοχροκερδεῖς ή διειργώξενοι,
Τήνδι Διπόρριψαντες, αἱστοχρώς τὸν πόλεμον αἱνε-
παστοι.

Cui tamen facere non possum, qvin adhuc aliud eumque elegan-
tissimum Philostrati addam, qui in epistolarum quâdam rigorem
hunc Lacedæmoniorum ad amorem jocosè transfert his verbis:
μὴ λακώνιζε, ὡ γύναι, μηδὲ μιμῆ τὸν λυκῆγον. Ξενηλασί-
αν ἔρως σὸν ἔχε. vid. græcas divers. præstantissimor. viror. Epis-
tolas pag. m. 393. §. V. Qva-

§. V. Qvapropter non voltintate qvādam meā de non te;
meratis s) Laconicæ Civitatis juribus dicere in præsens omitto -
sed res ipsa postulat, ut de posteriore Lacedæmoniorum rigore,
duntaxat agam, qvippe qvinaτ' ἔξοχη ita dicitur & tantum hu-
jus loci est.

s) Itidem enim maximum beneficium jus suæ Civitatis arbitrabantur La-
cedæmonii, ut Athenenses; qvod cùm aliundè constat, tum ex in-
dignatione illâ, qvā æqvissimam conditionem Tisameni Elei pro
communicatione felicitatis ab Oraculo sibi promissæ in Civitatem
recipi postulantis initio repudiabant. vid. Herodot. lib. IX. p. m.
566. Ac tametsi eum tandem, ejusq; fratrem Hegiam, eodem Au-
tore teste, receperunt, tametsi etiam qvosdam alios subinde recepe-
runt, v.g. Tyrtæum, Terpandrum, Thaletem, Pherecydem, qvos
Plutarchus non unð locô nominat, tñ en id eò non valet, ut teme-
rasse sua civitatis jura dici possint. Mothaces opponenti respon-
dere in proclivi est. Qvæ verò de Epeunactis Theopompus apud
Athenæum lib. VI. Dipnosophist. tradit, necessitati, cui nulla lex
posita est, meritò imputantur.

§. VI. Hunc igitur ut excutiam, operæ præmium, opinor fu-
erit, ante omnia videre, qvos per peregrinos hōc locō z) intel-
lexerint Lacedæmonii. Ubi primū generatim dico, pro pere-
grinis omnes illos fuisse habitos, ex qvorum consuetudine de-
Pravari Laconici mores poterant u) : deinde speciatim loqven-
do, in barbaros x) eos dispesco & reliquos Græcos, qvi sub di-
tione Laconum non erant y).

z) In hoc instituto aliter sumendum esse vocabulum peregrini, atqve in
altero illō, qvod modò seposui, jam ex §. III. conjectu facile est.
Illud enim Sortibus, ut dixi, dignitatem afferebat, hoc disciplinæ.
Quemadmodū igitur nemo ordinariè in civitatem recipiebatur,
nisi qvi Laconicō sangvine & legitimè qvidem satus erat: ita nothi
etiam pariter atqve Helotæ peregrinis æqviparabantur; qvitamen
in hōc negotio pro domesticis agnoscendi sunt.

x) Generalem hanc descriptionem peregrinorum ex fine intermediō &
minus principali instituti peto, qvi procul omni dubiō conservatio
Legum Laconicarum fuit, qvandoqvidem ex ultimo & principali
vel propterea non ita commodè possim, qvòd occultum eum Lacedæmonii voluerunt.

y) Barbari olim vocabantur, qvicunqve Græci non erant. Hoc autem
locō Persas in primis significo, utpote qvi omnium dissolutissimi
tām nocere Lacedæmoniis poterant, qvām qvi maximē.

2) Hos omnes ab actos ab urbe censeo; Lacedæmoniis subjectos non itē,
utpote qvos coercere poterant, si datas leges egredertenur. Qvas
durissi-

durissimas nonnunquam fuisse ex Messeniorum primis bellis devit
etorum sorte colligo, quos anni tributi loco frugum omnium se-
missem Spartam deportare humeris suis oportebat, & sumptuosa veste
pulla Regum Procerumque Laconicorum funera prosequi. Pausan.
in Messenicis p. m. 225.

§. VII. Ac barbarorum quidem familiaritatem tandem studi-
osius Lacedæmonios cavisse, quod magis vitâ ^{z)} & ingenio ^{aa)}
ab illis dissidebant, ex loquendi quâdam eorum ratione conjice-
re posse mihi videor, quâ contra communis Græcæ Lingvæ usum
barbaros nominare volentes, Herodotô teste ^{bb)}, peregrinos
nominare conservaverunt.

^{z) aa)} Refert hoc loco Lacedæmonios cum barbaris conferre, sed bre-
viter. Diffuebant hi ut plurimum generis omnis voluptatibus,
inq; sumptuosissimis deliciis degebant vitam. Ac quamvis duri-
ter initio Persas vicitasse legas, eorum tamen hunc victimum Me-
dicô paulatim Lydiôq; luxu perversum, tandemq; funditus ever-
sum scribit Xenophon lib. VIII. Κυροπαίδ. p. m. 164. seqq. quod
ipsum magis adhuc confirmat inexpectata Persicorum Legatorum
convivio ab Amynta Rege exceptorum de patrio luxu confessio a-
pud Herodot. lib. V. p. m. 318. Illi verò contrâ frugalissimi erant, ad
vitam parvò contentam à teneris assueti. Horum mensæ conqui-
stissimis epulis extruebantur; illorum paucis carnibus, pulmento &
caseo, qvibus tamen ita vescebantur, ut simul famem perpeti disce-
rent. Plenis hi bibeant faucibus; illi vix ultra fitim. Hi aurô ac
purpurâ distinctas vestes induebant fucabantq; pigmentis faciem;
illi vili amictu incedebant nullis ungventis madidi. Hi libidino-
sis amoribus deditissimi corpora miscebant ad lassitudinem; illi non
nisi proliis serendæ causâ. Denique ad mollitiem his omnia; illis
ad fortitudinem comparata erant, ut passim annotant Autores.

^{bb)} Locus est lib. IX. p. m. 556. quem non piget ascribere: Ταῦτα λε-
γόντων τῶν ἀγγέλων, οἱ ἔφοροι εἶπαν ἐπ' ὅρης, ηγὸν δὴ
δοκέσιν εἴναι ἐν Ορεστίῳ σείχοντας ὅτι τὰς ξείνιες. Σείνιες
γὰς ἐκάλεον τὰς βαρεβάρες. Οἱ δὲ ὡς ψκι εἰδότες ἐπιφέ-
τεον τὸ λεγόμενον. Ἐπειρέμψοι δὲ ἐξέμαρτον πᾶν τὸ ἑον.
Οὐδὲ ἐν Θώματι, γενόμενοι, ἐπορέουσοι τὴν ταχίστην διά-
κοντες, σὺν δὲ σφὶ τῶν πεζοίκων λακεδαιμονίων λογάδες
πεντακιθίλιοι ὥπλίται τῷ τύπῳ τῆτο ἐποίεον.

§. VIII. De Reliquis autem Græcis, qui imperio Lacedæ-
moniorum subjecti non erant, porro distinctius ita statuo, ut ne-
que Athenienses ^{cc)}, neq; socios Atheniensium ^{dd)}, neque i-
psos

psos Laconicæ partis, ee) in Urbem admissos puteam. Ac de Atheniensibus qvidem eorumque sociis res manifesta satis est ex oratione illâ apud Thucydidem ff), quâ Pericles post sententiam de bello cum Peloponnesiis gerendô expositam Atheniensibus ostendit, quô responsô interim Legati Lacedæmoniorum dimitti possint. Svatet is enim inter alia hoc quoque responderi Athenienses decretum de Megarensibus gg) abrogaturos, si neque Lacedæmonii advenas vel illorum vel sociorum arcere ab urbe pergent hh). Hoc autem intelligi datur ex Xeniis ii), quæ amicis kk) Phliasiis, cum Spartam, rebus Laconicæ desperatis hostibusq; juxta Amyclas confidentibus, à peregrinorum militum Duce deserti, conducto aliò, nihilominus auxiliatum venissent, pro spectatissimâ fide à Lacedæmoniis Xenophon missa memorat ll).

cc) dd) ee) In tot enim classes per ea, quæ suprà ad §. IV. diximus, distribuuntur poslunt, qui extra Lacedæmonios Græci erant.

ff) lib. i. de bello peloponnes. p. m. 61.

gg) Erant Megarenses postquam sui se juris fecerant initio Spartanorum Socii. Post ob fines controversos bellum à Corinthiis petiti Atheniensibus quippe vicinioribus se jungebant. Universa vero Eubœa ab Atheniensibus deficiente ipsi quoque ad Peloponnesios desciscabant. Nec desciscabant tantum, sed agrum etiam intervertebant Cereri Eleusiniae dicatum. Hoc indignè ferentes Athenienses Anthemocritum Fecialem ad illos mittebant, qui Numinis læsi reos admoneret, ad Lacedæmonios quoque iturum, si colere sanctissimam terram præfracte pergerent. Cujus cum interficti culpmat Megarenses effugere satis non poterant, internecinum bellum ab Atheniensibus iis indicebatur, decernebaturque, si quis Megarensis fines Atticos attingeret, ei mortem denunciatum iri. Conf. Thucyd. loco modò citato, Pausan. in Atticis p. m. 64. & Plutarch. Pericl. p. m. 168.

hh) Verba ipsa Periclis sunt: Νῦν δὲ τάτοις δύπολεινάρμονοι δύπολειψαρμόν, μεγαρέας υπὸ ὅτι ἐάσομεν ἀγορᾶς καὶ λιμέσε χεηδας, οὐ καὶ Λακεδαιμόνιοι ξενηλασίας μηδειῶσι, μήτε ἡμῶν, μήτε των ἡμετέρων ξυμμάχων.

ii) Xenia enim sunt munera, quæ dari peregrinis solent: quam vocem vereor, ut Xenophon usurpare potuerit, nisi in peregrinorum numero Phliasiros Lacedæmonii habuissent.

kk) Amicorum nomine h. l. significo, non qui in easdem leges, sed in foedus tantum coierunt: quales Phliasiros Lacedæmoniis fuisse constat, utpote suis ceteroquin legibus viventes.

¶) lib. VII. rer. græc. p. m. 424. his verbis: Οὐ γέ πωποι αὐτέστοις (Φλιάσιοι), ἀλλ' γέ εἶπει ὁ ξεναγὸς τὸς πορθμίαβεβῶτας λαβὼν, δόπολιτῶν αὐτὸς ἀχετός, γέ εἰς εἴπεσθαι Φησιν, ἀλλ' ηγεμόνα μιθωσάμενοι σὺν πασιών, ὄντων τῶν πολέμων τῷ αὐτῷ λαός, ὅπως ἐδύναντο πλεοδύντες, ἐς αὐτήν την αὐτήν φίκουντο. Καὶ μὴν οἱ λακεδαιμόνιοι ἀλλως πετίμων αὐτὸς, καὶ βῆν ξένιας ἐπεμψαν.

§. IX. Sæpiissimè mentionem Urbis injicio, acceptione Vocis nec Græcis mm) nec Latinis nn) inusitatâ, ut significem de Metropoli oo) Laconicæ Regionis præprimis debere intelligi, quæ aut dicta jam sunt, aut adhuc dicentur. Tamen si enim non negaverim ab aliis etiam Laconicis urbibus peregrinos exire jussos, adduci tamen non possum, ut eâdem eos vehementiâ credam ex Regione, quâ ex Metropoli expulsos pp).

mm) nn) Qvibus utrisq; hoc antonomasias genus perqvam familiare fuit. Sic Latinis urbis nomine Roma primis temporibus vocabatur, & seqventibus nova Roma Constantinopolis, qvod ex multis Imperatorum Constitutionibus patescit. Sic Alexandria πόλις απλῶς olim nominata est, & ita qvidem, ut hinc cives ejus πολῖται, teste Stephanô de Urbibus, dicti fuerint. Sic Troja πόλις simpliciter Homero dicitur, qvi & Ulyssem inde Iliad. 6. v. 278, πολίτωρ vocat. Athenas ἄσυ fuisse dictas vel ex Terentio, Cicrone & Nepote appetet, qvi omnes latinâ terminazione eas Astu vocant. Fusius hæc & copiosius exponit Gerard. Jo. Vossius Instit. Orat. lib. IV. c. 10. p. 177. & seqq. qvem vide.

oo) Hanc præprimis nudam à peregrinis debuisse esse existimo. Qvod enim cor homini est, id Metropolis toti Regioni. Qvemadmodum igitut omnis valetudo hominis ex cordis valetudine pendet: ita omnis etiam Regionis alicujus salus ex salute Metropoleas.

pp) Porro enim statuo, advenas in finibus ne pergant, fuisse monitos, tandem v. ex ipsis Laconicæ visceribus, & imprimit ex Spartâ expulsos. Ac monitos qvidem & exire ex Laconia prius jussos fuisse ex Agidis verbis, nisi fallor, appetet, qvibus Leonidæ ostendit Lycurgū non tam τὰ τὴν ξένων σώματα, qvam τὰς Βίσες καὶ τὰς τρέπτας αὐτῶν ejici voluisse, vid. Plutarch. in vita Agid. & Cleom. p. m. 799. Horum pertinet, qvòd Themistocles à trecentis eqvitibus Spartanis, ubi cum honore ipsum hospitem Lacedæmonii dimittere à se voluerint, usq; ad Tegeaticos fines fuerit deductus: vid. Herodot. lib. VIII. p. m. 542. Hoc enim tantum abest ut honoris tantum causâ factum interpretetur, ut ed etiam referam, ne qvis Laconici Rigoris re-

timentior virum de totâ Græciâ qvâm optimè meritum asperius tractaret.

§. X. Causas usurpati hujus Rigoris qvod spectat, duas eas constituo, ob præcipua duo momenta, in qvibus cardinem suæ salutis verti Lacedæmonios credidisse arbitror. Primum enim eos verisimile est putasse, se ad Principatum *qq*) obtinendū nunquam satis fortis futuros, nisi Laconicæ disciplinæ imitandæ occasione reliqui Græci, & in primis Athenienses, priarentur *rr*): deinde ne disciplinam qvidem hanc suam se conservatuos, nisi modis omnibus *ss*) vitarent, cum qvibus irrepere in urbem molities & luxuria poterat.

qq) Et gloriæ & potentiaz. De utroq; enim decertabatur, ut recte obseruat Ubbo Emmius tom. 3. vet. græc. p. 1. Atque hic ultimus erat & principalis Ξενηλασίας finis, qvem suprà etiam ad §. VI. indicavimus.

rr) Nam ut aliæ insolita arma, sic & insolitum fortitudinis genus hostes exterrere solet. Sic victos Germanos à Germanico scribit Tacitus lib. 2. Ann. c 21. non virtute bellicâ, sed genere pugnæ & armorum.

ss) In confessiō enim est, qvâm facile à frugalitate ad luxum, à virili duxitiā laborumq; patientiā ad mollietatem alienari homines possint. In qvem sensum sapienter Seneca Epist. 7: *Unum exemplum aut luxurias aut avaritia multum malum facit. Conviator delicatesus paulatim enervat & emollit: Vicinus dives cupiditatem irritat: Malignus comes, qvamvis candido & simplici rubiginem suam afficit.*

§. XI. Alteram causam Thucydides *tt*) innuit, qvando sub personâ suprà memorati Periclis *uu*) Athenienses demonstrat, non tam apparatu & dolis, qvâm virtute suâ in rebus gerendis fidere, argumentique loco assumit, illos omnibus urbis suæ usum concedere, secus atque Lacedæmonii faciant, neque hospitium, pulsionibus qvenqvam prohibere vel discere aliquid vel spectare, qvod etiam hosti animadyvertenti utilitatem pariat. Alteram, Plutarchus profert, qvando in vita Lycurgi *xx*) advenas à Spartâ ideò abactos judicat, ne doctores alicujus noxæ forent.

tt) Quem tamen Cratius de Rep. Lacedæm. p. m. 211. & 296. rejicit etiam consentiente Plutarcho, sed immerito, ut mihi videtur.

uu) lib. 2. de bello peloponnes. p. m. 78. Appono textum ut evolvendi labore Benevolum Lectorem levem: Διαφέρομεν ἢ οὐ τοῖς τῶν πολεμικῶν μελέταις τῶν ἐναντίων τοῖς δε. Τὴν τε γὰρ πόλιν κοινὴν παρέχομεν, καὶ σὸν εἶνι ὅτε Ξενηλασίας ἀπείρ-

δομή τινά ή μαθήματά, ή θεάματά, ο μη προφέν
αν τις των πολεμίων ιδών ὡφεληθείη, πιστεύοντες ότι τις
προκεναις τὸ πλέον καὶ απάταις, η τῷ αὐτῷ ήμῶν αὐ-
τῶν ἐστὰ ἔργα εὑφύχω.

xx) pag. m. 50. Verba Plutarchi sunt: Άλλα καὶ τὰς αἰθεριζομένας
ἐπ' ὑδενὶ χρησίμων καὶ παρεισρέοντας εἰς τὴν πόλιν απή-
λαυνεν, ὅπως μηδιδάσκαλοι κακὸν τινά οὔπαρξωσιν. Ά-
μα γδ̄ ξένοις σώμασιν ἀνάγκη λόγυς ἐπεισένει ξένους.
Λόγοι δὲ πανοὶ κρίσεις κανας ὅπιφέροντι. Εξ ὧν ἀνάγκη
πάνη πολλὰ φύεσθαι καὶ περιστρέψεις απαδόσις περὶ τὴν
καθεσῶσαν πολιτείαν, ὡσαῦτε ἀρμονίας.

§. XII. Qvanquam, quæ disputata jam sunt, Benevolum
Lectorem omnino ita volo accipere, ut aliter de Legatis aliter de
privatis peregrinis, aliter de festis aliter de profestis diebus, aliter
de belli aliter de pacis tempore sentiat. Legatos yy) enim com-
perio qvoscunq; tempore pariter in urbem intromis-
sus, atq; diebus festis zz) qvoscunq; peregrinos privatos, belliq;
tempore fœderatos aaa); qvibus tamen omnibus seriò interdi-
ctum erat bbb), ne qvid contra Laconicas leges facerent.

yy) Qui Lacedæmoniis æqvæ atq; aliis omnibus gentibus inviolabiles e-
rant. Nec obstat, qvòd Darii Legatos terram & aquam flagita-
gum ad se missos male acceperint, inq; puteos præcipitaverint
jubentes eos terram hinc & aquam sumere. Factum id enim non
ex more est, sed acerrimi odii declarandi causâ. Qvanquam in-
ter caduceatores & justos legatos Cratius h. l. distingvit, qui vi-
deri potest lib. IV. c. 6. p. m. 428.

zz) Nam ad suprà citata verba Aristophanis ex Pace vetus Scholiafestes
scribit: ήσαν δέ (οἱ Λακεδαιμόνιοι) καὶ τῷ τὰς ξένους απάν-
θεωποι, καὶ τὸν ἐξιτῶν ξένω τινὶ δεὶ τῆς Σπάρτης ὅπισταινεν,
ἄλλοι ὠρισμένοις ημέραις. Per ὠρισμένας autem ημέρας
festos dies recte intelligit Meursius Antiquit. Lacon. lib. II. c. 9. p.
143, qui præterea etiam ex M. Antonini Imp. lib. X I. ostendit,
qvem locum in spectaculis habuerint.

aaa) Qvōd planum esse potest, qui Phliasios cogitat, qvorum mentio
§. VIII. facta est. Cogitetur etiam Themistocles, cuius itidem
paulò ante meminimus.

bbb) Per Proxenos, qui eum in finem creati erant. Vetus Scholiafestes
Aristophanis ad Aves p. 590. (editionis Aurelia Allobrogum sumptu-
bus Caldorianæ Societatis Ann. M. DC. VII. impressa, qvam doctissi-
mo Viro Emilio Porto Francisci Porti Cretensis Filio debemus, qd̄
anti-

antiquis graciis Scholiis alia insuper recentiora Odoardi Bissetis; eru-
ditissimi Galli, ex ejusdem autographo exscripta addidit):
περὶ ζένης ἐκάλην τὰς τεταγμένας εἰς τὸ Καστελλοῦ
τὰς ζένης ἐξ ἀλλῶν πόλεων ηκοντάς. Quæ totidem quoq;
verbis Suidas annotat. Plura qui cupit, Cragium videat roties
citatum p.m.146.

§. XIII. Autorem instituti Lycurgum facio, qvicq; videtiam
aliis videatur. Nam Herodoti locum *acc*) qvod attinet, qui tam
suspensum Cragium *ddd*) reddidit, ut in medio rem relinqueret,
qvam definire maluerit, eum tantum abest, ut de omnibus Re-
gionis incolis accipiam, qvos in ordinem Legislator redegit, ut
de solis potius Doriensibus explicem, qui Laconiam cum Heracli-
dis occupata, Regum suorum permisso, non paucos peregrini-
nos in civitatem suam recipiebant *eee*).

ccc) lib. i. p. m. 17.

ddd) Qui videri potest lib. 3. tab. 3. instit. 3. p. m. 21f.

*eee) De Lacedæmoniis ante leges à Lycurgo latae ita omnino sentien-
dum est, ut aut solos Dorienses, tanquam primarios Regionis in-
colas, Lacedæmonios vocari potuisse dicamus, aut totum popu-
lum, qui ex Doriensibus simul & ex aliis omnis generis Græcis con-
stebat. Reges enim illius temporis, ut Strabo affirmat lib. 7. permit-
tebant δέχεσθαι συνοίκιας τὰς βαλούμενάς ταῦς ξένων Διὰ τὴν
λειπανδεῖαν. Qvando igitur definiendum est, qvō sensu Lacedæ-
monii accipi debeant, qvos νακονομῶστας χεδὸν πάντων Ἐλ-
λήνων, ναζά τε σφέας αὐτὸς καὶ ξένοιον ἀπροσμίκτας*

Herodotus fuisse scribit, dicere nullus vereor, de solis Doriensibus
historicum loqui, qvippe qui pessimos mores in Peloponnesum ex
patria sua secum attulerant, adeoq; cum cultoribus illis Græcis, qvos
recipiebant, ægri miscebantur. In qvâ me sententiâ prorsus con-
firmat laudatus Strabo, qvando non librō citato VII. tahtūm, sed &
IX. ejusdem originis vocabulo utitur & *ΔΕΙΠΙΜΙΚΤΑΣ* Doris
vocat, qvōd aspera regione oriundi & agrestes fuerint.

§. XIV. Restat ut expediam, qvamdiu observatum apud
Lacedæmonios hoc institutum fuerit. Qvō loco primū admo-
dum verisimile est, cœpisse illud post victorias Lysandri *fff*) cum
omnibus institutis aliis negligi; postmodum autem à Cleomene,
ggg) ut alia omnia, instauratum *bbb*) observari iterum, donec

Philopœmene iii) ita postulante cum universâ Lycurgi disciplinâ prorsus exspiravit kkk).

fff) Postquam missam ex Athenis captis à Lysandro ingentem pecunia summam quanquam in usum publicum retinuerant in urbe Lacædemonii, fieri non poterat, quin dignitate ad usum accedente pauplatim animos civium habendi cupidus invaserit. Οὐ γὰρ οὐδὲ inquit Plutarchus in Lysandro p. m. 442 δημοσίᾳ πιμώμυλον ὀρεῶντας, ιδίᾳ καταφεγγένως ἀχεῖται, καὶ τοὺς τὰ οἰκεῖα νομίζειν εἴδως μπονεὸς ἀξιού πεῖσμα τὸ ποινῆς θυτῶς ἐνδοκιμάζει καὶ αἰγαπώμυλον. Hinc luxus & deliciarum studium, hinc morū omnisque severitatis Laconicæ eversio, hinc livoris & odii tandemque interitus occasio. Adeò evenit, quod prædictum oraculum: ἡ Φιλοξενιατία Σπάεται ὄλει. Conf. omnino Plutarch. Institut. Lacon. p. m. 239.

ggg) Successit hic in regnum defuncto Patri Leonidæ, Collegæ Agidis, Regis optimi & jam ante Cleomenem Institutâ prolapsa in scenam reducere volentis, sed ab avunculo suo Agesilao Ephoro decepti ac tandem nefariè strangulati. Initio benignus civibus & facilis, totusque popularis, sed parandi sibi dominatus gratiâ. Quem ut obtineret, rebus in Arcadiâ feliciter gestis, negotiò cum Megistono vitrico communicatô, Ephoros trucidavit, populo pariter atque regibus gravem & præter instituta Lycurgi in republ. receptum eum magistratum causatus. Hanc cædem porrò concione convocata in utilitatem Reipubl. utpote cuius interfuisset ad novam honorum æqualitatem invidiam hoc modô simultatemque profligari, torsurus, primus in commune contulit, quicquid possedit agrorum, rerumque aliarum, ut exemplum civibus esset; quos omnes demum idem fecisse Plutarchus scribit, qui videri potest in vita Agid. & Cleom. p. m. 809.

bbb) Cur enim nostrum hoc Institutum alijs renovatis instaurari non debuerit, ego quidem non video. Quæ verò de civium numerô è peregrinis suppletô leguntur, ad formandam denuo Rempublicam, non ad formatam pertinent. Quanquam non negaverim remissorem paulò in peregrinos Cleomenem fuisse, captandæ, ut auguro, benevolentia causa.

iii) A quo Achæorum imperio subjecta civitas Lycurgi instituta omnia abrogare coacta est. Confert ad certitudinem majorem ipsum audiens Plutarchum: ἐμπιπλάσιῳ δὲ (ἡ Φιλοπόμην) τὴν Λακεδαιμονίων, καὶ παρ' αἰγίαν πεπαχόσιν ἐπεμβανων, τὸ ωδι τὴν πολιτείαν ἔργον ἀμόταλον ἐξεργάσοντο ηγεμονοματαλον. Ανεῖλεν γὰρ διέφειρε τὴν Λυκόργειον ἀγωγήν

αγωγήν, ἀναγνώσας τὸς παιδας ηὐτὴ τὸς ἐφίβες τὴν Α.
χαιρήν αὐτὶ τῆς πατρίας παιδείαν μεταλαβεῖν, ὡς γέδεπο-
τε μικρὸν ἐν τοῖς λυκόγρυς νόμοις Φερνίσουντας. Τότε
μὴ δὲν ωστὸ συμφορῶν μεγάλων, ὥστε εργασία τῆς πόλεως
ἐκλεμμένη τῷ Φιλοποίμενι φέρασθεντες, ἐγένοντο χειρο-
τεῖς ηὐτὴ ταπεινοί. in Philopoem. p. m. 365.

¶) Qyanqvanit enim post funditū deletam Achæorum Rēpubl. sub
imperio Romani populi floruerint iterum & Disciplinam Lycurgi
resumserint Lacedæmonii, tamen quia hic status eorum mediocris
fuit & inglorius omnisque potentiae expers, non crediderim ma-
gnam Σενηλασίας rationem haberi potuisse.

§. XV. Atque hæc quidem sunt, quæ Exercitii Academici
causâ de Rigore Lacedæmoniorum adversus Peregrinos annota-
te visum mihi est. In quibus si rem acu, quod ajunt, non tetigi,
hòc promptiorem Benevolum Lectorem ad veniam dandam fore
spero, quò difficilius est de re nemini tractatâ statuere.

S. D. G.

ADDITAMENTA.

I. Disputat Franciscus Laifinus lib. i. parerg. cap. ult. con-
tra Gellium, quòd lib. 6. Noct. Attic. cap. 5. per purum
putum argentum, cuius mentio fit in fœdere Romano-
Cartbaginensi, cum Alfeno Jurisconsulto valde purum,
hoc est, omnis alienæ materie expers, omnisq; vitiis de-
tractis emaculatum intelligat. Ac putat pro eo illud
accipi debere, quod signis & emblematis caret, adeoq;
relato opponitur, motus in eam rem citatò Ciceronis
locò ex VI. in Verrem. Nos Luisinum falsum arbitra-
mur, non Gellium.

II. Ambrosium admodum verisimile est ex Aristotele desum-
sisse illa verba, in quibus cap. 25. de Noë & Arcâ Tricie
inter alia & Hippocratis meminit, quorum illum san-
guinem animam, hunc verò aquam esse docuisse affir-
mat. Si enim Tricie corruptam vocem per anagram-
matismum



823

matismum restitutas, Critieq; scribas, & loco Hippocra-
tis Hipponis legas, (ita autem omnino legendum esse
ex historiâ philosophicâ dudum annotavit Marsilius
Cagnatus lib. 3. variar, observ. cap. 5.) quid aqvè cum
bis Aristotelis verbis consentit, quibus lib. 1. de animâ
text. 32. Critiam existimâsse scribit animam esse san-
guinem, & Hipponem hanc sententiam redarguisse,
cum dixerit aquam esse animam.


III. Usu venire nonnunquam potest, ut turpe sit æquitatem
negligere. Est autem laudatissima hæc virtus, Æneis in
Grecis dicta, justitia species, qvæ rigorem justitiae miti-
gat. Ac tres potissimum gradus habet. Primus est,
qvò naturæ vitia in aliis tolerare nos decet, v.g. mo-
rositatem, iracundiam, ambitionem &c. Secundus,
qvò qvis facta ambigua, aut levia etiam errata ita in-
terpretatur, ut odiosè & calumniosè non amplificet.
Tertius, qvò candidè & amanter admonendi à nobis
sunt, qui peccârunt, ut ante, qvàm contumaces fiant,
in viam revocentur.

IV. Non unius hactenus sententia est, Deum à causis parti-
cularibus ad certam effectus speciem determinari.
Quasi non possit, si velit, quodlibet facere ex qualibet.
Deus cooperatur quidem, sed ita, ut velit, qui & ita
vult, ut non possit determinari. Vulgarem autem
hunc errorem Incomparabilis noster Thomasius Dialog.
Phys. cap. 3. p. 9. observat ex Aristotelis scholâ manâsse,
Deum actione non liberâ, sed necessariâ agere docentis.



X 26159.05

bmz



Farbkarte #13

B.I.G.



Q.D.B.V.
DE
DÆMONIORUM
HΛΑΣΙΑ
SEU
RE ADVERSUS
EREGRINOS
PERMISSU
CULTATIS PHILOSOPHICÆ
ACADEMIA LIPSIENSI
CE DISPUTABUNT
PRÆSES
JANUS HETZERUS
PSIENSIS,
ET
ESPONDENS
Schulze / WALDENB.
OS. BACCAL. ET SER.
ECT SAX. A
LUMN.
UN. ANNO 1671.
ERIO PHILOSOPHORUM
H. L. Q. C.
LIPSIÆ,
JOHANN-ERICI
HAHNII.

